



PRORECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
HENR· LEONARDVS
SCHVRZFLEISCHIVS D
HISTORIARVM PROFESSOR PVBLICVS
CONSILIARIVS SAXO VINARIENSIS ET
PRINCIPALIS BIBLIOTHECAE
DIRECTOR
CIVIBVS ACADEMICIS

S P D

25

Morem perinde, ac fieri oportet, gerimus pur-
purato aulae Saxonicae quondam principi, et
maiori uoluntate studioque ortum eius recoli-
mus, quam obitum comploramus. Etenim quantae
nobis est uoluptati, natum fuisse illum, qui non magis
reipublicae consuluerit, quam literas beneficiis, ne
morte quidem terminandis, ornauerit, tam graue acer-
bumque uideri debet, heroem, immortalitate dignum,
mortalem fuisse, praesertim iis temporibus, quibus i-
dentidem ingenii fortunae praefidia desunt. Mirari
tamen in mentem ueniat, quid tandem sit, quod mor-
tui natalem potius, quam extremum uitae diem, an-
niversaria celebritate cohonestare iubeamur. Nam si
Regem, post hominum memoriam sapientissimum, au-
diamus, collatis inter se temporis utriusque incom-
modis, potior est ratio mortuorum, quam uiuorum,
et utrisque anteferendus, qui nunquam lucem aspe-
xit. Ita uero res hominum dant se. nascimur mor-
ti, morimur calamitati. ortu labor suscipitur, obitu fi-
nitur. cum uitae auspicio bellum certamenque initur,
exitu uictoria paritur. ex utero in altum, quo omnem
fortunae tempestatem subeamus, inuictis, multis-
que, ac grauibus, procellis fortunae iactatis, portum
ad ultimum praebet sepulcrum. Quocirca nec pau-
ci eorum, qui se prudentia studebant praestare cete-
ris, mortem uita ducebant meliorem, ob eamque rem
funus fletu, et lacrymis, fieri nolebant, nec temere
uidentur fecisse Thraces, quod primos uagitus luctu,
supremum spiritum gaudio prosequabantur. At enim
tangamur rerum humanarum sensu, quem nobis, in.
lucem editis, affert culpa, originis labo suscepta. gra-
tis tamen, et laetis, animis aestimemus bonitatem Nu-
minis,

minis, quod spiritum nobis diuinitus impertit, ut ser-
uiamus eius honori, animosque nostros confirmat, ut res aduersas non modo ferre, sed etiam superare
possimus. A primordio uti finis, sic ea, quae excessi
sum expectant, commoda suo quodam modo pen-
dunt, quod nisi fueris omnino, nec sempiternae, quam
post uitam capimus, felicitatis particeps esse queas.
Ducem auctoremque sententiae mihi sumo non cadu-
cam, sed aeternam Sapientiam, quae nihil prohibet
moeorem mutare laetitia, matrisque gaudium pro-
bat, ubi homine auctus est terrarum orbis. Quam
obrem natali sua stat dignitas, et proprius summorum
uirorum personis coniuncta, ac digna est, quae nulla
ullius temporis deleatur obliuione. Namque sicut
illi tum demum uiuere, et frui anima uidentur, cum
magnis negotiis districti, paeclare factorum famam
quaerunt, sic eorum gloria non extinguitur interitu,
sed toties nascitur, quoties memoria rerum bene ge-
storum in animis renouatur. Hunc laudis, ad poster-
os uicturae, natalem festum habuit, memor Timo-
leontis, Sicilia, hunc Pythagorae, et aliis, doctrinae
principatu claris, consuetudine sanxerunt familiae
sapientum, hunc Maroni suo Silius, hunc aliis, qui
eum aetate antecesserant, tam religiose instituit Stoicu-
sus Quiritium doctor, ut eos ritu deorum colendos
putaret, magnorumque uirorum et imagines habe-
ret, incitamenta animi, et natales celebraret. Nul-
lum hic locum inani superstitioni dedit HERMAN-
NVS VVOLFRAMS DORFIVS, cum natalem
suum ad posteros solemni celebratione instaurandum
curauit. uirtutis tamen suae, factis expressae, consci-
entiam testatus est, quod ortum suum reticeri nolu-
it, a

it, a quo tot, et tanta, in rempublicam, subsidium
que literarum, merita extiterunt. Nam, quae sole-
bant in bonis optari die natali, bonam mentem, bo-
nam famam, bonam fidem, a natura fautrice, multis-
que laboribus, et excellentibus meritis, consecutus,
tanta in praecipuo, quem tenuit, fortunae gradu flo-
ruit auctoritate, ut eius amplitudo non in has coniici-
enda sit angustias, sed annalium spatiis relinquenda.
Quodsi priscis temporibus ex anno reditu appara-
bantur coniuia, ut mortuorum natalibus honor-
conseruaretur, singularis eius existimetur liberalitas,
qui non statu anni die, dat natalitia, sed in studiosos
limioris doctrinae sumitus facit effusius, horumque
duodecim ex laetiori coetu sic deligit, ut decoro per-
petuoque triennii epulo alantur. Beneficii, quod
late patet, magnitudinem, et pietatem, qua colendus
est natalis, liberalibus disciplinis ipso partu felix, ex-
ponet M· IO· MICHAEL HENNE, Veissensea-
Thuringus, ingenii, doctrinae, quam, datis publice
speciminibus, prodidit, morumque cultu nobis non-
mediocriter commendatus, et Volframsdorffiani con-
victus alumnus, illustri hoc munificentiae genere di-
gnus. Demandatis partibus fungetur craftino, ad
quem, attentis animis in Aud. maiori excipiendum,
CIVES, frequenti, quaesumus, concione, ab H· IX
matutina, accedite, et pro gente V· Wolframsdorffia nobil-
cum uota suscipite, tanti nominis, et, quo cumulata
est haec Academia, meriti, aequissima recordatione,
adducti. P· P· Dom. VI TRIN· A· R· G

CCX

VITEMBERGAE SAXONVM
Ex FORMIS CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACADEM. TYPOGR.

Ung VI 3

10 18
13 17

28

B.I.G.



**DIRECTOR
E VITEMBERGENSIS
LEONARDVS
FLEISCHIVS D
PROFESSOR PVBLICVS
SAXO VINARIENSIS ET
LIS BIBLIOTHECAE
DIRECTOR
ACADEMICIS
S P D**